

uptote qui scientiam sibi propriam habet, nec ab ullo alio haustam. S. Anselmus, *lib. X in Matth.*, ait: « Unus est Magister, qui illuminat hominem, intellectum dando, homo autem non docet, intellectum conferendo. » S. Paschasius aliam rationem adducit, dum ait: « Christus, licet multi doceant, unus est Magister omnium, qui omnes homines « intus est magister, sed naturaliter docet; ideo « Paulus clamat, *I Cor.*, ii, 7: *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*; non enim homini intellectum praestat docendo, sed a Deo praestatur, qui intellectum « dat parvulis, et ait: *Intellectum tibi dabo, et instrum te*; unde beatus homo, quem tu erudieris « Domine, et de lege tua doceris eum. » Eandem quoque rationem reddit Lyranus, dicens: « Quia « solus Deus potest docere interius, intellectum illuminando, suo speciem intelligibilem infundendo, homo autem docet solum exterius aliqua « proponendo. » Dionysius Carthusianus de hoc unico Magistro ita scribit: « De quo scriptum est in « Ecclesiastico, i, 5: *Fons sapientiae verbum Dei in excelsis*; » et de eodem subiungit: « Sine cuius « magisterio frustra laborabit Doctor seu Praedicator exterius. »

Omnes autem vos fratres estis.

1. — Albertus Magnus verba haec quoad parentelam spirituales exponit, dicens: « In gratia et esse spirituali formati ex uno Patre, *Hebr.*, iii, 4: « *Fratres sancti vocationis caelestis participes*. *Hebr.*, ii, 11, 12: *Non confunditur Christus fratres vocare eos, dicens: Annuntio nomen tuum fratribus meis*. » Dionysius Carthusianus dicit, et omnes nos nepotes et cognatos esse a protoparentibus Adamo et Eva oriundos, quoad hoc, quod corporis generationem spectat, quoad animam vero hanc omnes uni et eidem Creatori in acceptis referre debemus: « Equales quoque in natura specifica, et « filii Dei adoptivi per gratiam; » adducitque textum illum Malachiae dicentis: *Numquid non Pater unus omnium nostrum? numquid non unus creavit nos?*

5. — Christus Salvator noster nos omnes in lege Evangelica stabilire volens, loco basis et fundamenti omnium praeceptorum, dilectionem reciprocam esse voluit, dicens, *Joan.*, xii, 45: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem*. Apostolus, *Rom.*, xiii, 10, dicit: *Plenitudo legis est dilectio*. Ad hoc autem ut nos invicem cordialissime diligeremus arctiori vinculo nos ad invicem adstringere non poterat, quam si per verbum aeternae veritatis, nos ad invicem fratres esse affirmaret. Et ideo Malachias Propheta, ii, 10, postquam dixisset: *Numquid non Pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos?* paulo post subiungit: *Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum?*

VERSUS 9.

Et Patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester, qui in caelis est.

Et Patrem nolite vocare vobis super terram.

1. — Verumtamen receptissimus est in Ecclesia usus, quod multi religiosi, etiam illi, qui in optima observantia vitam suam regularem traducunt, Magistrorum et Patrum titulo appellantur; ac proinde Venerab. Beda multas suo tempore circa hunc textum quaestiones motas fuisse dicit: « Sed facile « solvuntur, quod quomodo unus per naturam Deus, « et unus Filius non praedicitur caeteris, ne per « adoptionem Dii vocentur, et filii; ita unus Pater « et Magister non praedicitur aliis, ut abusive « appellantur Patres et Magistri. » S. Hieronymus huic dubio aliter respondet, dicens: « Aliud est « natura Patrem et Magistrum, aliud indulgentia; « nos si hominem patrem vocamus, honorem aetati « deferimus, non autorem nostrae ostendimus « vita; magister quoque dicitur ex consortio veri « magistri. »

Unus est enim Pater vester, qui in caelis est.

2. — Lyranus notat, quod, tametsi vel genitores nostri, vel aetate valde maturi et decrepiti, vel nostri in vita spirituali magistri, Patris titulo appellari soleant, attamen solus Deus vere Pater appellari possit: « Quia ab eo solo habemus animam intellectivam, qua est forma hominis. » Aristoteles quoque ait: « Pater est, qui sui aliquid habet in « alio, ex quo ille constat in fieri, esse perfectio. » Nullus igitur praeter Deum, Pater noster appellari poterit, prout sancta illa Machabeorum mater ex instinctu utique superno professsa fuit, dum ait: *Neque ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, cum filiis loquebatur, et singulorum membra non ego ipsa concepi, sed mandati Creator*. S. Thomas rationem reddit, cur Christus voluerit, ut aeternum Patrem suum, nostrum appellarem et invocarem Patrem, dum ait: « *Cum oratis, dicite, Pater « noster*. Dicitur Pater, ratione specialis creationis, « qui creavit nos ad imaginem, et similitudinem « suam, quam aliis creaturis non impressit. » Similiter Pater noster merito dicitur, ob curam paternam, quam erga unumquemque nostrum gerit, qua tanta est, ut S. Augustinus ad Deum conversus, *lib. III conf.*, xi, dicat: « Sic curas unumquemque « nostrum, tanquam solum cures; sic omnes, tanquam singulos. »

Unus est enim Pater vester.

3. — Nam ut Apostolus, *Eph.*, iii, 14, ait: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur*.

4. — Hoc singularissimum privilegium « Omnia

« dona excedit, » inquit S. Gregorius, *Hom. xix in Ezech.*, « nimirum ut Deus hominem vocet filium et « homo Deum nomet Patrem. » Propter hoc Chrysologus praenimio stupore absorptus, exclamare hunc in modum, *Serm. lxx*, cogitat: « Nihil « tam stupet coelum, pavet terra et expavescit uni- « versa creatura: servus Dominum Patrem vocare « audeat; » hic honor unice nobis reservatus fuit, siquidem Hebraeorum populus, ceteroquin tantopere a Deo electus et praedilectus, eo praesumptionis ascendere nunquam ausus fuit, ut Deum communi titulo Patrem cognominare auderet; nec mirum, nam de illis Apostolus, *Rom.*, viii, 15, scribit: *Acceptum spiritum servitutis in timore*; non vero idem de nobis ait, quin potius: *Acceptum spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater*.

5. — Advertendum, quales sancti Patres ex illis premissis deducant consequentias: *Vocate Deum Patrem*, inquit Chrysologus, sed cum quo pacto, vel conditione? « Quatenus sit vobis caelestis vita, sint « vobis divini mores, quia caelestis Pater respondens generi filios numeribus dicit divinis, « degenerantes ad peccata revocat servitutem. » Idem quoque monitum S. Cyprianus sequentibus verbis subministrat: « Meminisse itaque et scire « debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, « quasi filii Dei agere debemus, ut, quomodo nos « nobis placeam de Deo Patre, sic sibi placeat et « ille de nobis filiis. »

VERSUS 11.

Qui major est vestrum, erit minister vester.

1. — S. Thomas, in *Joan.*, discipulos opponere et replicare potuisse dicit: « Vis, quod non sit pra-

« latio in terra? » et statim subdit: « Dicit Domi- « nus, hoc non volo, sed volo, quod qui major est « vestrum, sit vester minister, id est, non se exis- « timet ut superiorem, sed ut ministrum; » ac proinde S. Francisus omnes religionis suae superiores et Praelatos hoc nomine appellari et intulari voluit.

2. — S. Anselmus ait: « Hoc docet, non esse « contendendum de primatu; quicumque enim vult « fratrem suum praevenerit regnando, prius praev- « niat illum obsequendo. » Lyranus super verbum *Minister*, dicit: « Sit minister, id est, paratus ad « officia humilitatis, secundum decentiam sui sta- « tus; propter hoc Papa vocat se servum servorum « Dei. » Cajetan ministerium istud, quoad muneris sui exercitium exponit, dicens: « Exhibebit se « ad ministrandum vobis, recognoscendo se in veri- « late accepisse majoritatem ad ministrandum « vobis doctrinam, bonos mores, et universaliter, « quae sunt spiritus. »

VERSUS 12.

Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: Et qui se humiliaverit, exaltabitur.

1. — Cajetan voces se exaltaverit, observat et dicit: « Superbus acutissime describitur per pro- « prium obiectum, dicendo se; nam obiectum « superbi non est honor aut gloria, sed ipsemet. » Eo ipso enim, inquit Christus, quo seipsum exaltat, immoderatum ambitionis suae appetitum exprimit: « Affectus, studium, officiumque superbi totum « tendit ad exaltandum se, humiliabitur tandem a « Deo. » Syriaca legit: *Quicumque efferet seipsum, deprimetur, et qui seipsum depresserit, efferetur*.

FERIA QUARTA POST SECUNDAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XX, VERS. 17

17. Ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis:
 18. Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, et Scribis, et condemnabunt eum morte.
 19. Et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget.
 20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo, qui dixit ei: Quid vis?
 21. Ait illi: Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.
 22. Respondens autem Jesus dixit: Nescitis, quid petatis, potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

23. Ait illis : Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

24. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.

25. Jesus autem vocavit eos ad se, et ait : Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt, potestatem exercent in eos.

26. Non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.

27. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

28. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam pro multis.

VERSUS 17.

Ascendens Jesus Jerosolymam assumpsit duodecim discipulos secreto.

1. — Redemptor noster tempore Passionis suae proximus, per hanc antecedentem praedictionem aliud nihil intendit, quam ut discipulorum suorum animos ad generositatem animaret, ne turbarentur; ita S. Anselmus ait : « Intimando eis mortem praeparat eos ad tentationem, ne turbarentur, cum viderent morientem. »

2. — In aliis occasionibus paucos discipulos testes elegit, prout videre est in monte Thabor, in resuscitatione filiae Archisynagogi, in hisce namque locis solos Petrum, Jacobum et Joannem secum habuit; at vero nunc omnes duodecim secum sumpsit, idque ut denotaret, quod, ubi de patiendo, de prodiganda pro nostra redemptione vita et sanguine agitur, Salvator noster neminem excipiat, quin potius ipsummet quoque traditorem suum admittat, quia, quantum est ex parte sua, vult omnes salvos fieri; etenim Salvator clare satis, se a Juda in manus satellitum et licitorum tradendum esse praevidebat : *Filius hominis tradetur*, nec tamen eum ex hac praedictione auscultanda exclusit; imo ne quidem, ut fama ejus integritati consuleret, ipsum vel minimo verbo revelare voluit. Quamvis Origenes e contra diabolum nondum venenum suum cordi Judae pro tunc instillasse existimet, *Hom. xi in Matth.* : « Adhuc nesciebat Judas quid esset facturus, sed nec aliquis nostrum scit; nam et omnibus dictum : *Noli gloriari in crastinum.* » *Prov., xxvii, 1.*

Secreto.

3. — Ingens porro hominum multitudo eum sequebatur, atque ideo cum Apostolis locuturus, ad partem eos a turba seduxit. « Quia magnum erat sacramentum, » inquit S. Paschasius, *ibid.*, « semper pretiosior thesaurus et sacratio fidelioribus credendus est et in vasis pretiosioribus recondendus. » Eamdem quoque S. Thomas opinionem sustinet, dum ait : « Magna eis ostendere volebat, ideo non omnibus erant communicanda; » atque ideo, *vobis datum est nosse mysterium regni Dei*, alias Apostolis dixerat; ad haec turbae, mysterii cujusdam

et sacramenti adeo sublimis intelligendi, quale erat, quod Filius Dei crucifigendus, ac demum immortalis et gloriosus resurrecturus esset, incapaces erant : *Non omnes capiebant verbum istud*, et prout in ordine ad aliud quoddam propositum dixerat : *Nolite sanctum dare canibus*. Hugo Cardinalis ait : « In hoc instrumur, quod revelandum est consilium antiquioribus et bonis. Propter vitandum scandalum, » est haec alia a S. Thoma allata ratio, « quia viri, qui nondam erant perfecti, avari fuissent ab eo, si audissent mortem ejus, mulieres provocatae fuissent ad lachrymas. »

4. — Origenes, *tr. xi*, citatus in Catena ait : « Adhuc erat et Judas, adhuc enim forsitan dignus erat cum aliis seorsim audire, quae passurus erat Magister; Syriaca legit : *Assumpsit duodecim discipulos inter se et ipsos praevitum.* » Unde perspicue colligitur, quod ad divina mysteria seria meditatione pensitanda et specialiter ad deplorandam et compassionem prosequendam ejus passionem, nihil sit utilius et efficacius, quam solitudo et ab hominibus seorsim facta sequestratio.

5. — Hugo Cardinalis dicit, Christum assumpsisse illos secreto : « Propter exemplum, ut tu veniens ad claustrum, non multis manifestes. » Atque ex *Genes., xxi, 20*, exemplum Jacob adducit, qui a Laban « insalutato hospite recessit. »

6. — Ex hujus quoque Evangelii decursu observandum est, quod, quia sapientissimus et prudentissimus Magister Christus, duos illos fratres manifeste nimis ambitiosos futuros, aliosque decem Apostolos ex duorum fratrum ambitiosa petitione ad indignationem permovendos esse praevitit, eo quod et ipsi gloriae mundanae aride cupidi, ideoque duobus illis invidi erant, ideo duodecim illos discipulos valde prudenter a turba sequestravit, ne haec de schola suae discipulis, quibus velut primam praecipuamque doctrinae suae maximam, humilitatem adeo sollicito inculcaverat, humilem nimis abjectamque opinionem conciperet, sicut etiam ut ipsorum verecundiae et confusioni consuleret, qua alias indubie in totius populi conspectu conspergendi fuissent, qua in re prudentiam et charitatem nos docere voluit, adhibendam a nobis ad defectus proximorum, maximeque Ecclesiasticorum, a mundanorum oculis occultandos, ne ali-

quod apud saeculares existimationis et reverentiae illis debitae patiantur praedictum.

7. — Hugo Cardinalis dicit, quod Christus discipulos secreto abduxerit : « Hoc fecit contra hypocrisis, qui, quando vadunt ad crucem patientiae, non secreto faciunt hoc, sed publice. »

VERSUS 18.

Ecce ascendimus Jerosolymam et Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte.

Ecce ascendimus Jerosolymam.

1. — « Signanter ait : *Ecce ascendimus*, » inquit S. Paschasius hic, « nam ecce, hoc loco, contestantis est sermo, ut memoriam praesentiae hujus in cordibus suis recorderent. » Haec etenim praedictio id postea in Apostolorum cordibus operabatur, ut ad eam se Passionis tempore reflectentes, de ejus morte minus turbarentur, memores nimirum, quod illam secundum omnes in Passione ipsius concurrentes circumstantias accuratissime praedixisset, utroque elegisset. Auctor Imperfecti idipsum diu ante scripsit, *Hom. xxxv*, dum ita ait : « Ac si dicat : Videte, quia voluntarie vado ad mortem; nemo me vocat Jerosolymam, nullius potestatis praecipuum timeo. » Considerat insuper Cajetanus aliquid, unde ipsum se propria voluntate ad mortem obtulisse convincitur, nimirum : « Non solum Passionem, sed species Passionis praedicit; » praevitit namque praecise et annuntiat Passionis futurae locum, dum ait : *Jerosolymam*; siquidem ut in S. Luca scribitur : *Non cupit Prophetam perire extra Jerusalem*; et quare? quaerit S. Thomas hic : « Quia erat locus legalis et sacerdotalis, et utrumque conveniebat Christo; quia sicut Sacerdos verus debebat immolare pro populo, sic et Christus hostiam obtulit pro mundo. »

2. — Auctor Imperfecti, *ibid.*, hanc tertiam fuisse vicem notat, qua Apostolis Passionem suam annuntiabat : « Ecce nunc jam tertia vice praedico vobis mysterium Passionis meae futurae; » ejus S. Paschasius rationem reddit, dicens : « Ut ex praesentia divinitatis ejus plene intelligatur et consideratio divinitatis fidem ipsorum amplius corroboraret et confirmet in tempore Passionis, ut totum quod patiebatur, dispositioni voluntatis ejus applicet, non necessitati naturae. » Adhaec quoque aliquid potest motivum, quod ab Auctore Imperfecti his verbis traditur : « Ut mysterium Passionis altius insideat mentibus vestris frequentius repetitur; » ac proinde Apostolo meditationem Passionis Dominicae suadere volenti, non sufficiebat dicere : *Cogitate*; sed, *Heb., xii, 3*, ait : *Recogitate eum, qui talem sustinuit, etc.*

3. — Notandum est insuper, quod progressum

ad Calvariae montem, ascensionem appellavit, quia quando de Passione adunca agebatur, gigante aggressibus properabat : *Exultavit ut gigas ad currentem viam*. Unde Albertus Magnus super haec verba ait : « Quia Passionem suam ascensionem esse reputavit. »

Filius hominis tradetur Principibus.

4. — Paulus de Palatio ait : « Vide mundi sapientiam, nobilitatem, culmen contra Christum armari; haec vobis, o Christiani, qui cum Christo ascendistis, expectate; totus infernus, totusque mundus contra vos insurgit. » Quisquis ad perfectionis verticem conscendere satagit, infestationes, contradictiones, motus et irrisiones ut expectet, oportet. Quod S. Augustinus, totaliter se ad Deum convertentem, per experientiam verisimile est comprobasse; siquidem ita scribit : « Santus multi male viventes Christiani, inter quos qui voluerit bene vivere, patitur ipsos Christianos insultatores. »

VERSUS 20.

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedae cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo, qui dixit ei : Quid vis?

Tunc accessit ad eum.

1. — Valde mysteriosum est verbum illud, *Tunc*; videtur enim Evangelista per hoc innuere velle, quod eodem prorsus tempore, quo Christus se deludendum, tradendum, flagellandum et crucifigendum esse praedicebat, haec mulier in conspectum Domini prodierit, ut pro filiis suis sceptrum thronosque regios exposceret; ecce tibi, quam sit inordinata et inconsulta vehemens illa ambitionis impellentis passio.

2. — Albertus Magnus hic, Christum tunc inter alia Resurrectionis suae mentionem fecisse observat : « Quomodo mentionem fecerat de Resurrectione, in qua regnatura erat in potestate, de qua dicit, *Matth., xxvii, 18* : *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* »

3. — Basilibus Seleucus, *Orat. xxiv*, Crucem, juxta regii Prophetae vaticinium, regium regni Christi vexillum et signum futurum esse notat; unde Ecclesia canit : *Dominus regnavit a ligno*; et ideo dum latronis in crucis patibulo suspensi petitionem memorat, ita de hac filiorum Zebedae matre scribit : « Anteverit, ut appareat, latronis voces, mulier; ille in cruce orationes fundebat : *Memento mei dum veneris in regnum tuum*; haec autem crucem pro regno supplicabat. »

4. — Porro controversum est inter Scriptores, an hic mulieris ad Christum accessus, hinc petitionis propositae strepitus, directe et immediate, ac

principaliter ab ipsa factus; an vero ad hanc petitionem faciendam a filiis suis ad Christum missa et directa fuerit. Albertus M. ait: « Accessit ausu « familiaritatis et consanguinitatis. » Ipsa namque una illarum erat, de qua scribitur; *Ministrabant ei de facultatibus suis*. Abulensis adjungit: « Quia « facilius concederet Christum matri, quam filiis, « quia forte illa adjuverat Dominam nostram soro- « rem suam, ad nutriendum Christum. » Præter- « quam quod contra hunc dominii avidum sexum, « sortis admodum stot præsumptio; etenim sexus ille « omnium primo per Luciferum supplantatus fuisse « noscitur, eodem quoque velut instrumento usus est, « ad instillandum Adamo hoc ambitionis venenum: « *Eritis sicut Di*. Tritum quoque est illud, quod de « Agrippina Neronis matre scribitur, scilicet, quod « cum hunc filium, seu potius naturam monstrum, per « partum suum enixa fuisset, cupida sciendi, an ad « Imperii fastigium evehendus aliquando esset, Astro- « logos sollicite consuluerit, qui formata infantis nati- « vitate, illum quidem regnaturum, ad matrem suam « pariter interfectorum esse dixerunt; quo audito « ipsa primo quidem cogitanda substitit, tandem « vero respondit: « Occidat, dum imperet. »

5. — Verumtamen verisimilius est, ipsam hanc supplicationem Christo porrexisse, a filiis suis subornatam. Ita enim opinatur S. Paschasius, quod quidem etiam ex textu S. Marci, x, 33, colligi posse videtur, qui dicit: « *Et accedunt ad eum « Jacobus et Johannes, dicentes: Volumus, ut quod- « cumque petierimus, facias nobis; unde manifestum « est, hæc eadem postulasse, quæ a filiis suis ei « persuasa sunt et ideo quasi per se accesserunt. » Hujus quoque opinionis veritas ex responsione Dei illius, qui scrutatur renes et corda et scit quid sit in homine, haud obscure colligitur siquidem Dominus non matri, sed filiis ejus directe respondet. Unde S. Hieronymus ait: « Mater postulat et discipulis « loquitur, intelligens proces ejus ex filiorum des- « cendere voluntate. » Finis autem, propter quem matris opera usi fuerunt, ille fuisse videtur, quem jam insinavimus et quem Jansenius quoque his verbis indicat: « Verisimile est, hos fratres matrem « subornasse, quia illa inter eas esset mulieres, « quæ Domino serviebant et ministrabant de facultatibus suis et secutæ eum fuerant a Galilæa; » nec mirum, quod in eorum petitionem proponendam consenserit, quia mater erat. « Magna vis « amoris in matribus, » inquit pariter S. Paschasius et S. Ambrosius: « Matrem considerate, matrem cogitate. » Ad hæc, Auctoris Imperfecti consideratio est, filios tale inter se agitasse consilium. « Submittamus matrem nostram, ut suo nomine « deprecetur pro nobis et fient duo bona; si enim « res ipsa reprehensibilis inventa fuerit, facile « meretur veniam, quasi mulier, ipse enim sexus « excusat errorem, si autem non fuerit importuna,*

« facilius impetrabit. » S. Paschasius aliam affert rationem, cur S. Jacobus et S. Joannes in persona propria, ad hanc petitionem faciendam, Christum non convenerint: « Ne ulla suspicio, quod ipsi hoc « pelierunt, nasceretur, neque invidia inter condiscipulos, quod ipsi hoc appetere, oriretur. »

6. — Chrysostomus, *Hom. lxxvi in Matth.*, nihilominus non solum matrem, nec filios solos, sed hos simul et conjunctim cum matre Christum accessisse opinatur: « Utrumque fuisse credendum, matrem « que ab eis assumptam, ut per auctoritatem sup- « plicantis, Christum facilius exorarent; » hæcque opinio ex verbis textus clare colligitur, in quo expresse dicitur: *Accessit cum filiis suis.*

Mater filiorum Zebedæi.

7. — Lucas Brugensis dicit, eam « proprio nomine Salome » appellatam fuisse; Evangelista autem non vocat illam Zebedæi uxorem, quia, ut idem Brugensis ait, verisimile est, ipsam fuisse viduam. Albertus Magnus idipsum opinatur, quia si pater Zebedæus etiamnum superstes fuisset, officium petendi pro his patri commississet. Alii vero sacri expositores, ipsam tunc quoque vivum et superstitem fuisse existimant. Hugo Cardinalis hic, ait: « Magna laus est hujus mulieris, nam relicto « viro secuta est Christum, quia ille temporalis « maritus erat, iste autem perfectus sponsus. » S. Paschasius dicit, quod non solum filii, sed et mater se totam Christi disciplinæ addixerit: « Nec « eam vicit maritalis affectus. » Albertus Magnus ait: « Fil mentio Zebedæi, qui fuit ita amicus « Jesus, quod æquanimiter sustinuit derelinqui a « filiis, ut sequerentur Jesum. »

8. — Auctor Imperfecti mulierem hanc ut egregiis virtutibus præditam deprædicat, utpote quæ sancta fuit et cujus in Martyrologio Romano die XXII Octobris, sit commemoratio: « Sexu fragili, » inquit, « et jam ætate defecta Christi sequebatur « vestigia, quia fides nunquam senescit et religio « fatigationem non sentit. » Verum dicit hic aliquid; ex quo mulier hæc adeo sancta fuit, cur pro comparandis filiorum honoribus se adeo ostendi ambitiosam? Ecce quoniam homines etiam sanctos carnis et sanguinis affectus non adigat! siquidem hæc petitio, tametsi in ea de primis sedibus, non ejuslibet regni, sed solius regni Christi ageretur, utique rationalis nequaquam extitit, secus enim Christum non dixisset: *Nescitis quid petatis*. Unde S. Ambrosius, *loc. cit.*, ait: « Etsi error pietatis, « tamen est error, nesciunt enim materna viscera « patientiam. »

Adorans.

9. — Enimvero si hæc mulier Christum, tanquam verum Dei Filium agnovisset, consequenter ulique intellexisset, ipsum non fuisse regnaturum

temporaliter: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Ecce tibi genuinum ambitionis naturam, superbi namque, ad hoc ut desideratos assequantur honores, prius serviunt et ad objecta, ipsorumque natalibus et conditionibus indigna servitia sese dimittunt, *Prov., xv, 33: Glorium præcedit humilitas*. Unde S. Ambrosius, *lib. IV in Luc.*, ait: « Ambitio, « ut dominetur, aliis prius servit, curvatur ubi « quio, ut honore donetur, ut dum vult esse sublimior, sit demissior. » Absalon potentissimi Regis filius, præ nimio throni possidendi desiderio, more paterna mortis impatiens, dum contra patrem machinatur rebellionem, ad conciliandam sibi populi subditi benevolentiam, omnibus magna cum submissione occurbat, sua illi subsidia et favores ultro citroque offert. Unde succincite quidem, sed valde ingeniose S. Cyprianus ad *Donat*, hæc de re ita loquitur: « Quis amictu clariore fulgere tibi « videtur in purpura, quibus hoc sordibus emit ut « fulgeat? » Quantæ ab ambitiosis indignitates committuntur, ad conciliandam sibi ejus gratiam, a quo sui exaltationem expectant! S. Bernardus de tercia tentatione, qua daemon Salvatorem nostrum aggressus, in idololatriam proturbare conatus fuit, tractans, *Serm. vi in Psal. xc*, ita scribit: « Tertia « diaboli tentatio de ambitione fuit, quando omnia « regna mundi promisit, si cadens adoraret eum: « videsne quod ambitionis via, adoratio diaboli « est. »

10. — Lucas Brugensis vocem *adorans* explicat, dicendo: « Insigni reverentiæ officio Jesu animum « captat, adorans et petens. » Experientia quippe quotidiana demonstrat, quod, dum aliquid nobis petendum est, maxime dum honores expectantur et sperantur, ad quævis etiam infima obsequia nos abijcimus, magnificisque ac speciosis titulis patronos nostros condonacore soleamus. Unde Innocentius III, *lib. II de contempt. sac.*, scribit, quod « Ambitiosus humilitatem simulat, » atque ideo illa a talibus oblata obsequia, submissiones, profundissimæ reverentiæ, fletæ communiter sunt, et vel ex ambitione, aut immoderata superbia, vel ex motivo proprii et spe intentum nostrum assequendi procedunt.

Petens aliquid ab eo.

11. — S. Marcus clare discipulos coram Domino cum jam insinuata petitione comparuisse dicit: *Volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis*. Lucas Brugensis notat, matrem prius in genere sibi petitisse concedi id, quod petitura esset: « Verita « enim et ipsa repulsam, ubi declarata esset, quid « illud esset, quod postularet, conatur ante omnia « Jesum sibi generali pollicitatione devincere, as- « sensum venata, antequam petat, ne postea negare « liceat. »

12. — Verum enimvero, quisnam est hic tam

peregrinus loquendi modus, seu quæ phrasid hæc est, qua ad sollicitandas primas et præcipuas in regno Dei, de quo scribitur: *Dominus est terra et plenitudo ejus*, dignitates et sedes, petium illud aliquid duntaxat appellatur? Bersabea apud Salomonem filium suum, ad regnum assumptum, pro Adonia interveniens, III *Reg., ii, 20*, memoriali quoddam presentavit, hunc in se petitionis tenorem continens: *Petitionem unam parvulam ego deprecor a te*. Quod si vero bene observetis, quoniam hæc loquendi phrasid directa fuerit, ipsam ad regnum aspirasse deprehenditis: *Postula et regnum*. Etenim hæc est ambitiosorum indoles et natura, quod honores, quos affectant, diminuere soleant, ut eos tanto facilius impetrent, vel etiam quod, postquam illos sunt assecuti, parvi illos se estimare simulent; vel quod raro contenti esse soleant, parum id esse existimando, quod merita illorum nimis superexcedit, licet inordinate illorum ambitioni nunquam sufficiat. Verumtamen Evangelista, pro superiore quendam spiritum motus huic supremi honoris sollicitationi hunc titulum attribuit, quod aliquid tantum vocet; volebat enim ut omnes intelligeremus, quod, dum de gloria terrena agitur, quidquid mundus dare potest, vere nihil sit æstimandum. Audite, quod Isaias, *xliv, 17*, de vasto alioque populo, provinciarum et regnorum Domino scribat: *Omnes gentes quasi non sint, sicut sunt coram eo et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei.*

Qui dixit ei: Quid vis?

13. — Quid opus erat, illam interrogare quid vellet, quando id jam per divinam præscientiam optime ei perspectum erat? Nunquidem enim Psalmista, *Ps. cxxxvii, 6*, dicit: *Abcondita tu scis, Domine, et alta a longe cognoscis?* Nimis pro hæc interrogationem, utilissimam nobis doctrinam innuere voluit, quam etiam Jansenius, c. civ, circa hæc interrogationem notavit, dum ait: « Suo nos « exemplo docens, ne ob familiaritatem, aut carnalem affectum, idem roganti amico obstringamus, « priusquam in specie petitionis qualitatem intel- « lexerimus et justane an injusta sit, didicerimus. »

Versus 21.

Ait illi: *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo.*

1. — Inter alias febres quæ animam nostram disruciunt, S. Ambrosius, *lib. IV in c. iv Luc.*, ambitionem quoque recensuit: *Febri nostra ambitio est*. Febrius autem proprietas est, quod caput invadens, perturbato cerebro hominem delirare faciat, cujus equidem delirii effectum, in hac muliere et filiis ejus satis clare videre licet, quibus

proinde increata Sapia haud immerito dixit : *Nescitis*; imo vero, si verba petitionis ejus bene observaveritis, videbitis utique, illam, quot verba protulit, tot deliramenta in medium protulisse.

Dic.

2. — Ecce tibi primum amentiae signum. Etenim filios exaltari volens, non filiorum meritis et aptitudine seu idoneitate, sed in Christi jubentis et ordinantis auctoritate fundatur. Porro honores communi nomine dignitates appellantur, eo quod non nisi dignis conferantur; quodsi autem dignitates indignis conferre liceret, jam non dignitates, sed indignitates appellandae essent; ad hoc igitur, ut homines sine merito ad munera publica sublimentur et promoveantur, plus requiritur quam verbum *Dic*, quia prius labores, sudores, virtutes et quaevis alia merita praecedere debent.

Ut sedeant.

3. — Hisce verbis secundum delirii signum exprimitur; neque enim dominium et gubernatio subditorum exercetur sedendo et quiescendo, sed ad illorum servitium et obsequium indefesse et incessanter laborando; Deus etenim olim ex pastoribus magnos creavit principes, prout in Moysae, Davide et aliis factum esse constat; similiter piscatores Ecclesiae sua cardines esse voluit : *Ecclesiarum Principes*; ejus decissimus Oleaster accommodam proposito nostro reddit rationem, quia scilicet pastores diu nocturne vigilant, in continuo item laboris motu perseverant, in continuo item misere vestiuntur, quod idem iis quoque accidit, qui piscationem exercent : « Ut ergo tam Reges quam Pontifices scirent se non ad quietem, non ad divitias aut delicias assumptos, sed ad labores, sudores ac vigilias, hos inter ceteros deligere curavit. »

4. — Adhaec quoque magne in iis dementiae signum erat, quod se in honorum mundanorum cum adeo instabili et volubili rota sedere seu stabiliri posse crederent, in qua nullus unquam hominum quiete sedere aut se immobiliter stabilire potuit, propter quod Davidis imprecatio erat : *Deus meus, pone illos ut rotam*; imo hanc fortunae instabilitatem ne quidem Christus ipse evadere potuit, quia eadem septimana, qua Christo magnificens ille palmarum triumphus praeparatus fuit, eidem quoque crucis horrendum fabricatum fuit patibulum. Verum quidem est quod dominia, principatus et regna, *Status* vulgari nomine appellantur, sed a stultis et imperia plebe, siquidem geometrae, alique viri docti, eosdem principatus in mappa mundi representantes, eosdem in forma globi ejusdem rotundi, oculis nostris obijciunt, quia sicut forma perfecte sphaerica et rotanda ad quemlibet ventum flatum volvit et vertitur, ita quoque amplissima

terre dominia ad quemlibet levem obortum motum mutantur et deficiunt.

Hi duo.

5. — Tertius hisce verbis delirii ipsorum solacismis innuitur, siquidem omnibus nota est illa sententia : « Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt. » Esto quod regnum, cui Rex aliquis dominatur, adeo vastum et amplum sit, quantum est totum hoc universum, et nihilominus solum illius regium adeo semper strictum esse videbitis, ut duos simul capere nequaquam possit. Unde Alexander Dario dixisse fertur, quod sicut caelum duos soles non sustinet, ita nec Persidem duorum esse Regum capacem.

Filii mei.

6. — His verbis quartum indicatur delirium, siquidem honores et dignitates, non ex directione carnis sanguinis, sed secundum distributive justitiae regulam conferendi sunt, *Hab.*, II, 12 : *Vae qui ædificas civitatem in sanguinibus, et preparas urbem in iniquitate.* Schemita, qui in promovendo Abimelech, utpote suo cognato, solliciti fuerant, justo Dei judicio postea desolati fuerunt et destructi. Lyranus in presenti Evangelio per duos hosce fratres ambiciosos intelligens et ad verbum *Nescitis*, sese reflectens, subjungit : « Nam honores Ecclesiae non sunt dispensandi ex propinquitate sanguinis, sed ex idoneitate personarum, ratione scientiae et virtutis. »

Unus ad dexteram, et alius ad sinistram.

7. — Fuit hinc quintus error. « Mirum erat de muliere, » inquit Albertus Magnus, « quae semper audierat Dominum detestari sinistram, per quam significantur mundanae divitiae, et tamen petit unum esse a sinistris. *Prov.*, II, 16 : *In dextera ejus longitudo dierum, et in sinistra ejus divitiae et gloria.* » Adhaec graviter quoque in hoc erravit, quia immoderata et effrenis ambitionis passio, ad ætatis, virtutum, qualitatum et meritorum praecedentiam minime respicit, sed sine ullo ætatis habito discrimine, quilibet illorum licet germani fratres sint, pro dextera sibi comparanda acerrime dimicabit.

In regno tuo.

8. — Hisce verbis ultima se illorum fatuitas prodit, siquidem ipsi terrenum, non vero aeternum regnum consecrabantur. Unde Chrysostomus, *Hom.* XVI in *Matth.*, ait : « Quod igitur nihil spirituale quærebant, nec de celesti regno quiddam cogitabant perspicuum est; » clarum igitur est, quod Christum nequaquam regnaturum fuisse ignoravit. *Regnum meum non est de hoc mundo.* *Joan.*, XVII, 36.

Dic.

9. — Paulus de Palatio verbum hoc ponderans, illud divinitatis Christi expressivum fuisse sustinet : « Illo verbo, *Dic*, videtur agnovisse Christi divinitatem, cujus est solo verbo facere, ipse enim *dixit, et facta sunt.* » Unde Centurio pariter, cui dictum fuit : *Non inveni tantam fidem in Israel, ad eum dixit : Dic tantum verbo.*

Ut sedeant.

10. — Quodnam obsecro mater illa motivum habuit, ut hoc verbo uteretur? Numquid illi dicere sufficiebat, rogo te, ut illos ad primas regni tui dignitates evehas? S. Pascchasius, *ibid.*, notat, Apostolos Christum sepius non solum de monte et de resurrectione sua audisse discurrerentem : « Et ideo cooperunt cogitare intra se, cum essent jam in fide devoti : Ecce Rex caelestis ascendit, ut regna mortis, regemque et regnum destrueret inferno-rum, quid aliud restat, cum victor ascenderit de bello, nisi ut regni gloria subsequatur? » Ipsum dicentem audierant, *Matth.*, XII, 28 : *Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel;* unde valde permoti ad gloriam, satis acule atque ingeniosus submittunt matrem. » S. Thomas hic, idem punctum tangens, subjungit : « Sciendum quod Jacobus et Joannes magis honorabantur a Christo post Petrum, ideo Petrum voluerant excludere. » Lucas Brugensis ait : « A filiis instructa alludit ad promissionem, paulo ante, *cap.* XII, 28, duodecim factam : *Sedebitis, et c.* »

11. — Idem Auctor, sedere idem quod regnare esse dicit : « Sedere regnantis est. *Sap.*, VI, 22 : *Delectantini sedibus et sceptris, o Reges populi.* »

12. — S. Thomas de Villanova in sermone de hac praesenti Feria, ait : « Jam non miremur, si illi, qui habitant in curia regia, desiderant favorem et principatum; » filiorum namque ambitionem per os matris sese manifestasse existimat; cum igitur hi Apostoli, et quidem excellentiores inter illos fuerint, et tamen adeo manifeste ambitionem suam prodiderint : « Quis tam sanctus et justus, qui hac macula non tangatur? » Etenim hi jam totaliter mundo renuntiarant, ab omnibus divitiis et mundanis voluptatibus maxime alieni erant : « Et tamen quærebant gloriae principatum. Ultima omnium congressio cum ambitione est. »

Hi duo filii mei.

13. — Idemmet sanctus Archiepiscopus, fratres hosce hanc Christo propositam petitionem, inter se ab omni reatu excusasse considerat, eo quod inter omnes Collegii Apostolici condiscipulos et collegas,

neminem ipsis praerferri posse censuerint. « Hæc enim prerogativa praeminentiae, quam petimus, « si jure propinquitatis dari debet alicui, nullus « propinquior; si ex amicitia et gratia, nullus familiarior; si ex servitio, nullus superior; si ex merito, nullus nos praecedit; » at vero quidquid sit de aliis hujus praetense excusationis capitibus, puncto tamen parentelae insistendo, dicendum est graviter ipsos fuisse hallucinatos; siquidem summus hic Sacerdos, de quo scribitur, *Hebr.*, IX, 12 : *Introivit senel in sancta, aeterna redemptione inventa, in promovendis suis ad honores ecclesiasticos, ab affectu sanguinis se seduci nequaquam permittit.* Porro observandum quod e numero duodecim lapidum pretiosorum, quibus Aaronis rationale locupletabatur, solus exclusus fuerit adamas, cum tamen gemma isthaec nulli alteri, sive quoad pulchritudinem, sive quoad pretium et aestimationem inferior existat, *Omeria in figura contingebat.* Glossa ait : « Haec positio diversarum virtutum in rationali, multiplicem variarum virtutum gratiam ostendit, quae concordari serie in corde sacerdotis debet apparere. » Scirene vero cupitis, cur adamantem dicto rationali inseri voluerit? Nimirum quia illius affectus et amoris, quo parentes prosequimur, symbolum existit; hic autem, ut plurimum, nos vel maxime, praeter fas et aequitatem seducit; estque inter alias proprietates, hac quoque specialiter praeditus, quod non nisi per sanguinem molliori aut frangi possit. Hugo Cardinalis in *c.* XVI Ezechielis explicans illa verba : *In die ortus tui non est praecius umbilicus tuus,* ita dicit : « Id est, in die promotionis tuae in Episcopum, vel quemcumque Praelatum; tunc enim Praelatus incipit nasci, cum proficitur in Ecclesia, vel cum sacerdos ordinatur, tunc omnis carnalitas ab eo abscindi debet, et nihil ad ipsum de nepotibus. » S. Hieronymus quoque super illa verba, *Psal.* C : *Oculi mei ad fideles terrae,* ita scribit : « Potest hoc dicere et Episcopus, sanctus vir, quoniam non ordinabam presbyterum illum, qui mihi obsequabatur, aut propinquum meum, sed eum quem sciebam fidelem. »

Unus ad dexteram tuam et alius ad sinistram.

14. — S. Thomas hic in auctoritate S. Chrysostomi fundatam, petitionem hanc materiam spirituale spectasse scribit : « Et in hoc fuit laudanda, quia matres plus petunt temporale quam spirituale; unde mater, si videat filium peccantem, non tantum dolet, quantum si videt infirmum; et per dexteram spiritualia significatur, terrena per sinistram. »

15. — Lucas Brugensis dicit mulierem hanc prudentissimam favorem hujus Regis adeo intimum et familiarissimum sibi conciliare stategise, ut lateribus ejus utrique proximis assisterent, adeo

ut sine ipsorum consensu et patrocinio nullus unquam ad ejus Majestatem habere aditum posset; sensus est: «Cingant tibi latus utrumque, sedent tibi proximi, sicut a te Rege primi proceres regni.» Cajetanus dicit: «Ut ex utroque latere sint primi.» Sed nunquid ei sufficere poterat, si obtinisset, ut ambobus dextris illius ei assisterent? Nequaquam, inquit Cajetanus: «Nec volunt alter sub altero sedere; sed potius pari in gradu et dignitate, unus ex uno, alter vero ex alio latere eminere volunt. Unde Cajetanus dicit: «Significat cant primas sedes hinc et inde;» quia tametsi fratres utriusque fuerint, quia tamen hic de dominio agitur, ideo unus alteri cedere omnino renuit. Et ideo notandum est prudens hujusce mulieris consilium, quod ne inter utrumque fratrem controversiam, litem seu contentionem aliquam cansaret, cuius dexteram, aut cui sinistram dari desideret, minime specificat, quia noverat, quod ubi de dominio et subjectione agitur, minorennitas etatis seu maturitatis senili minime cedit; neque contra se excitare voluit illorum malevolentiam, per primatum uni potius quam alteri procuratum; tanta semper contentione animi, pretensione et presumptione noverat ambiri.

16. — Docteur Angelicus hic, per dexteram et sinistram quoque, vitam contemplativam et activam interpretatur: «Possumus intelligere per dexteram et sinistram, activam vitam et contemplativam, ideo petit istos prædici in utraque.» *Cant., ii, 6: Lava ejus sub capite meo, et dextera ejus illius amplexabitur me.*

In regno tuo.

17. — S. Paschasius ex his verbis movetur, ut ipsos gloriam celestem petisse existimet: «Quasi religiosi et celestis gloriæ amatores, tamen non quasi scientiam habentes;» quam opinionem, uti verisimile est, ab Auctore Imperfecti desumpsisse videtur, qui scribit: «Non sentit illa sicut cætera matres, quæ corpus natorum suorum amant, animam autem continent; desiderant illos valere in sæculo isto, et non curant quid passuri sint in alio; alii militiam filiis suis provident, alii honores, et nemo filiis suis providet Deum; perditionem illorum cum magno pretio comparant, et salutem illorum nec dono accipere volunt. Si viderint illos pauperes tristantur; si autem peccantes, nemo trahitur, ut ostendant quia corporum sunt parentes, non animarum.» Qui idem mox objectioni cuidam, quam opponi posse sciebat, nimirum quod manifestum signum illam non celestem, sed terrenam regnum filiis suis postulasse, exinde colligi videtur, quia Christus illis respondit: *Nescitis quid petatis.* Huic, inquam, objectioni, protinus respondet, dicens: «Non dicemus, quia recte peti,» siquidem illos in celo

cum Christo regnare cupiebat, priusquam hic in terris passi fuisset, sed hoc dicimus, quia non «terrena, sed celestia filiis suis optabat.» Etenim argumentum evidens, unde colligi potest ipsos in celo cum Christo regnare cupivisse, ex eo colligitur, quia Christus illis calicem passionis suæ exhibendum proposuit. Idem vero gravis Auctor materiam hanc ulterius prosequitur dicens: «Dominus cognoverat propositum istud petentium fratrum, quia primatum sibi non petebant secundum mundiales honores, quem si ex duobus vel tribus unus acceperit, necesse est cæteros fieri eo inferiores, sed perfectionem pietatis petebant in regno celesti; quam et multi consequi possunt, et cum fuerint consecuti, alterius perfecto alterius perfectione non minuitur.»

18. — Lyranus tamen illos primas in regno terreno sedes petisse existimat, quia vulgaris in universo Israele opinio erat, Messiam Jerusalem temporaliter regnaturum esse; unde Scripturas sacras, spirituale Ecclesiæ suæ regimen concernentes, juxta appetitum et genium suum interpretabantur: «Regnum ablatum eis per Romanos, credebant sibi restituendum per Christum;» ac proinde Apostoli Christum in celos ascensurum unanimiter interrogarunt, dicentes: «Domine, si in tempore hoc restituitur regnum Israel? Hoc modo Jacobus, et Joannes, et mater eorum audientes Christum post mortem tertia die resurrecturum, ac crediderunt ipsum immediate regnaturum in Jerusalem temporaliter; et ideo cupientes, ei collaterales esse præ cæteris, quia erant ejus cognati germani, informaverunt matrem suam de petitione sequenti.»

19. — Venerabilis Beda hic querit: Ex quonam signo hi duo fratres regnum Dei imminere colligere poterint, qui illum audiebant de imminente sibi morte, cum aliis discipulis disserterent? Et respondet: «Ex verbis, quod Dominus dixerat: «Et tertia die resurget, putabant enim eum post resurrectionem illico regnaturum.»

VERSUS 22.

Respondens autem Jesus dixit: Nescitis quid petatis; potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

Nescitis quid petatis.

1. — Quodsi mater illa hanc supplicationem sola sine filiis, et ex proprio motivo, non vero sollicita a filiis, Christo proponeret, adeo ut filiorum pretensio ad eandem ne quidem per umbram concurreret, cur igitur Salvalor noster responsionem suam ad omnes indifferenter direxit? S. Paschasius, *ibid.*, dicit: «Celestis arbiter non ad verba mulieris, sed ad consilium et suggestionem filiorum respondit.» Lucas Brugensis vero ait: «Ta-

cite interim filios simulationis arguens, et opinionis de ipso indignæ, quem putarent astuta petitione et incanta promissione capi posse.» S. Ambrosius tamen existimare videtur, *lib. V de fid.*, ut, Dominum non mulieri petenti, sed filiis, pro quibus petebat, respondisse, idque ex honorifico quodam respectu et veneratione, qua mulierem hanc alias optime de se meritam, sibi que beneficam prosequebatur: «Cum honorandum esse sciret pietatem, non mulieri sed filiis respondit;» etenim mulier hæc proxima erat beatissima Virginis cognata, et prout supra diximus, verisimile est, quod multum ad educationem Christi in ejus infantia contulerit, præterquam quod ministrabat ei de facultatibus suis; ideoque debito cum respectu et reverentia cum ipsa Dominus procedere volens, hanc adeo manifestam repulsam ei directe dare, eamque velut ignorantem redarguere noluerit, sicut filios redarguit.

2. — S. Antonius Paduanus, *Serm. in hac fer.*, in hac materia argumentum quoddam proponit indissolubile; postquam enim præmisisset hæc propositionem: *Verè nesciebant*, demum ita discurrit: *vel enim intelliguntur regnum voluisse terrenum, in eoque primatum ambivisse et tunc vere se valde nescire et ignorantes esse prolarunt, quia Christus protestatus est, dicens: Regnum meum non est de hoc mundo; vel intelliguntur loqui de sedibus, quæ occupantur erant, quando Dominus noster in throno majestatis suæ venturus est ad judicium finale, cujus futuri erant assessores, et tunc multo amplius augetur ipsorum ignorantia, quia unum ex se ad sinistram collocari rogant, ad quam reprobos statuendos esse constat; vel denique regnum sibi dari postulant beatum: Et tunc multipliciter nesciebant, quid peterent.* Primo, «quia istud regnum non datur per parentelam, sed propter præcedentia opera; non enim datur bravium, nisi post cursum, nec datur corona, nisi post victoriam, non prelium nisi post laborem.» Secunda ratio ex illis verbis: *Unus ad sinistram*, desumitur, «quia tibi non erit sinistra, quia nec adversitas, unde inquit: *Ut gaudium vestrum sit plerum.*»

3. — S. Paschasius verbum *sedeant* ponderans, dicit: «Proprium est unico Dei Filio Christo Jesu, ut sedeat ipse ad dexteram Patris, quomodo sederet aliquis eorum ad sinistram filii, nisi medius sederet inter Patrem et Filium, quod nefas est dicere, ac proximior illo.» S. Thomas hic, eandem facit considerationem, dam ait: «Petebant, quod supra omnem creaturam haberent eminentiam, quia sedere a dextris nulli creature convenit, ut habetur ad *Hebr., i, 13: Ad quem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis.*» His adde, estque conceptus alterius S. Thomæ de Villanova, quia in regno celorum nullus sedet: «In regno meo nullus sedet; scriptum

est: *Decies millies centena millia assistebant ei.* Qui sedere voluit, dicens: *Sedebit in monte Testamenti in lateribus Aquilonis*, præcipitatus est in æternum.»

4. — Albertus Magnus ad hoc se reflectens, quod Christus discursum responsionis suæ ad filios direxit, ita scribit: «Quasi dicat, quod mulier nescit, non imputo, quia non est imbuta doctrina mæ sapientie; sed vos de ignorantia arguo, qui ab initio mecum estis, et multa de dextera petenda et nulla de sinistra audistis.» S. Paschasius quoque hunc in modum scribit: «Numquid non audistis, quod qui a sinistris erunt, maledicti erunt et reprobi; idcirco vos vocari de sinistris ad dexteram, ut semper in dextris permaneat, et quid est, quod vos vestro consilio rursus recurere velit ad sinistram?» Idem quoque Auctor Imperfecti notavit.

5. — S. Thomas, *in Joan.*, ait: «Nescitis, quia de præmio contenditis, sine merito præcedente.» Porro Petrus in monte Thabor, gloriosi illius spectaculi pulchritudine captus, ibidem perpetuo demorari voluit, dicens: *Bonum est nos hic esse*; at vero Spiritus Sanctus per S. Lucam, *ix, 33*, illum ignorantia redarguit; dicit enim Evangelista: *Nesciebat quid diceret*; prius etenim opus erat, ut Christus montem Calvarie ascenderet, eique calix ejus propinaretur exhauriendus, priusquam æternæ beatitudinis particeps fieri posset. Idem quoque hic dicere possumus: *Quia nescitis quid petatis; potestis bibere calicem* etc. Rabanus ait: «Nesciebant quid peterent, qui sedem gloriæ a Domino, quam nondum merebantur inquirunt, delectabant eos culmen honoris, sed prius habebant exercere viam laboris.» Idem quoque S. Anselmus scribit: «Quænam enim erat temeritas, pedem suum aliis anteferre velle, quando etiamnum omnis erant meriti expertes?» Dionysius Carthusianus ait: «Ex quadam presumptione et elatione petisse videntur, optantes Coapostolis anteferri et vultes summi esse in gloria, qui nondum prioribus Sanctis similes erant in merito.»

6. — Beda hic, hanc petitionem non a mundana sed a celesti verbum *sedeant* ponderans, dicit: «Proprium est unico Dei Filio Christo Jesu, ut sedeat ipse ad dexteram Patris, quomodo sederet aliquis eorum ad sinistram filii, nisi medius sederet inter Patrem et Filium, quod nefas est dicere, ac proximior illo.» S. Thomas hic, eandem facit considerationem, dam ait: «Petebant, quod supra omnem creaturam haberent eminentiam, quia sedere a dextris nulli creature convenit, ut habetur ad *Hebr., i, 13: Ad quem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis.*» His adde, estque conceptus alterius S. Thomæ de Villanova, quia in regno celorum nullus sedet: «In regno meo nullus sedet; scriptum

7. — Observat Auctor Imperfecti et S. Anselmus idem scribit, quod sapientissimus Magister Christus discipulos suos nonnumquam errare permisit: « Patitur aliquid non recta dicere, aut agere, aut cogitare, ut ex illorum culpa inveniat occasiones docendi et exponendi regulam pietatis, sciens, quia ipse error non nocet magistro presente. »

8. — Lucas Brugensis horum primas sedes præ-tendentium, discipulorum errorem hæc verbis aggravat, dum ex altera parte, Christi illis respondentis mansuetudinem laudat; dicit enim: « Crasam, carnalem, ambitiosamque discipulorum petitionem, ignorantie in simulatione contentus est repulisse mitis Magister, » quamvis eorum intentionem per verba sequentia excusare videatur, dum ait: « Error enim non ex malitia, sed ex simplicitate profectus sanari debuit, aut ad tempus tolerari. »

9. — Cajetanus considerat Christum non dixisse: « Nescitis quid petitis, sed quid petatis; reprehendunt enim, quod ignorant quid petendum sit, seu acquirendum post resurrectionem meam; » alibi enim docuit: *Primum querite regnum Dei et iustitiam ejus*. Unde Hugo Cardinalis ait: « Nescitis quid petatis, id est, nescitis quale petere debeatis. »

10. — Lucas Brugensis existimat, Christum illos arguere voluisse erroris, quo ipsum temporaliter regnaturus esse credebant, q. d. « Vos aestimatis regnum meum fore mundanum, erratis; arbitrari precum ambita primas hujus regni sedes impetrari posse, quod tamen non petitionibus, sed meritis acquiritur; » alium quoque commitebant errorem, dum matris interventum adhibuerant; unde S. Paschasius ait: « Forte diabolus per mulierem ad consuetam recurrit arma; ut per mulieris affectus locum inveniat error; » quo sensu Salvator illum republice nimis exitiosum prohibere voluit, in conferendis honoribus procedendi modum; dum honorum fastigia ad hujus sexus instantiam, nec non ob consanguinitatis respectum conferri solent. Unde Dionysius Carthusianus: « Quantum ad hoc, tenebant typum, eorum qui a magnis Prælati ad ecclesiasticas dignitates postulanti, propter consanguinitatis lineam promovendi. »

11. — De Cardinali Bellarmino refertur, quod, dum a viro quodam apparenter dignissimo rogaretur, ut pro obtinendo sibi quodam episcopatu vacante, favore suo opitulareretur, is eidem libere responderit, se hactenus quidem eum tali dignitate dignissimum censuisse, hunc tamen conceptum penes eum totaliter evanuisse, ex quo illum similem dignitatem ambire intellexisset; episcopatus enim, ut Theophylactus ait: « Magnus est onus et Angelicas virtutes conueniens. » Paulus de Palatio dicit, quod si ambitiosi scirent, quænam in mune-

ribus ecclesiasticis pericula lateant, quidve Deus et S. Paulus a Prælati exigant, qualique debito erga gregem suum astringantur, nullus se ad illa promoveri sineret: « Quis enim nimium pauper, decem mille filios, ut ab eo alantur, habere vellet? Quis pauper alieno ere gravari cuperet? Quis ascensus, onustus gravi onere, mille graviora pondera sibi imponi desiderat? Quis languidus multorum sibi languores asciscat? » Audit S. Augustinum, *Serm. lxx de ver. Dom.*, sub episcopatus sui pondere fatiscentem et hæc verbis lamentantem: « Sunt, qui de nobis ea sentiunt quæ ipsi diligunt, et in hujus mundi quasi prosperitatibus, quibus ingemiscimus, invident nobis; ibi nos felices putant, ubi periclitamur. »

12. — Albertus Magnus de hac muliere illa scribit: « Humanum passa est, etiam temporalem prosperitatem cupit filius, ut hic et in æternis sint in honore; » stulta autem et inordinata est hæc petitio, quia in hoc et futuro sæculo, pariter gaudere difficile est, nec dicam impossibile.

13. — S. Thomas de Villanova, *Ser. de S. Jacobo*, hoc nos salutari monito instruit, dum ait: « Erratis, erratis, quicumque a Deo temporalem gloriam, favores, et divitias, et opulentiam anxie quæritis; nescitis quid petatis. Venit Christus in mundum, ut doceret ea omnia contemnere et tu instanter petis? » Quot sunt, qui inter voluptates, divitias et delicias, rosus se inventuros credunt, cum tamen postea se nimiam anxietatem, sollicitudinum, suspitionum, invidiarum, infirmitatum, millenarumque aliarum ærumnarum spinis se continuo tranfigi experiantur, neque enim ipsemet Christus sine mysterio, divitias spinis assimilat. Potest etiam hæc discipulorum ignorantia hæc Boetii aggravari sententia dicentis: « Non in hoc terra puniet, sed in celo propaganda gloria. »

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum.

14. — Mystica prorsus est illa hic ab increata Sapientia discipulis data responsio, hi etenim fratres primas sedes, primosque thronos postulant, illisque per patibula et cruces respondetur; nimirum ut per hoc denotaret, verissimum esse, ut serio re-trinantis patebit, quod regna mundi, vera sint ambitiosorum patibula. Unde trita est illa S. Bernardi sententia: *O ambitio ambientium crucis!* Enimvero Salvator noster tunc pridem, non vero antea titulum regis libenter acceptavit, illumque ab universo Hebraismo super caput suum figi permisit, quando crucis patibulo affixus pependit, ut vel inde regna terre in substantia, nihil præter patibula et cruces esse agnosceretur.

15. — Verum quærat hic fortasse aliquis, ex quo Salvalori nostro jam perspicuum erat, duos hosce fratres ea esse generositate præditos, ut calici hæc passionis epotando labia sua indubitanter

admovitur essent, cur insuper illos hæc de re interrogare et examinare voluit. S. Anselmus dicit: « Non ignorabat quidem Dominus, quia passionem ejus poterat imitari; sed ideo dixit hoc illis, ut Domino interrogante et eis respondentibus, omnes nos audiamus, quia nemo potest cum Christo regnare, nisi passionem ejus fuerit imitatus. »

16. — Salvator noster, hanc ambitionis febrim in duobus hæc fratribus ulterius proserpere videns, ad eam curandam, salutarem illis porrigit medicinam. Unde Chrysostomus, *Hom. lxxvi in Matth.*, ait: « Perpendis, quomodo statim ab hac cupiditate eos removet, contraria eis disserens; nam vos, inquit, de honoribus et coronis cogitatis, ego vero de lactamine atque sudore. »

17. — S. Bernardus, *Ser. n ex parvis*, considerat, coelestem hunc protomedicum, calicis hujus amaritudinem se quoque ebibiturum esse prædixisse, ut duobus hæc discipulis, ad eundem bibendum, animi generositatem et vigorem ministraret; nam super illa verba: *Quem ego bibiturus sum*, ita scribit: « Tanquam pius et laudabilis medicus, prius bibit potionem, quam parabat suis, id est, passionem et mortem sustinuit, et sic sanitatem immortalitatis accepit et impassibilis, docens suos, ut confidenter biberent potionem, quam generat sanitatem et vitam. » Quisquis enim hunc Redemptoris calici labia admovet, ad petendum et moriendum pro Domino paratum se esse probat et consequenter recipit regni futuri pignus certissimum: *Si sustinebimus et coregnabimus*. Chrysostomus, *Hom. cit.*, Christum valde sapienter passionis et mortis suæ mentionem fecisse notat: « Ut communicatione laboris promptiores redderentur. » S. Augustinus, *in man., c. xxii*, dicit: « Nihil tam amarum ad mortem est, quod morte Christi non sanetur. » Basilius Seleucus, *Or. xiv*, dicit, Christum regni sedes sollicitantibus discipulis, per patibulorum oblationem respondisse, quia « regni acquirendi modum docebat; thronus laborum fructus est, via est passio, labores pro religione suscepti, regnum merentur. » Enimvero valde considerabilia sunt verba illa: *Calicem, quem ego bibiturus sum*; hæc in verbis a nobis postulata, ut calices, quos bibitari sumus, ipsius sint, id est, ut quiddid in hac vita toleraretur et bibitur, id totum a nobis non ob fines mundanos, sed ex amore patendi pro Christo et ad ipsius gloriam fiat. Multi quidem ambitiosi, calices sæpe amarissimos exhauriunt, sed eo duntaxat fine, ut ad optatum desideriorum suorum scopum perveniant; unde alicuius ille, qui in vita aulica incanuerat quondam, ait: Se equis vixisse, « Injurias accipiendo et gratias agendo. » Hi duo fratres a Christo sibi dici audierunt: *Calicem quidem meum bibetis*; unde sequens moralis doctrina elicitur, nimirum calicem Domini semper a nobis bibendum, non solum in rebus gloriam Dei immediate spectantibus, verum etiam in quibuscumque aliis rebus indifferentibus, idque modo sequenti. Quando enim nonnumquam casus contingit, quod ratione vocationis nostræ nobis sudandum et laborandum sit, non in rebus ad Dei servitium immediate pertinentibus, sed in rebus mundanis; tunc sudores et labores illi, per bonæ cujusdam intentionis rectitudinem, ad Deum et finem supernaturalem dirigi possunt et debent. Unde S. Augustinus, *in Ps. xxxi*, ait: « Non valde attendas quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat. »

18. — Notandum quoque est, Christum omnino contrarium illius facere, quod mundus facit; hinc namque proprium est, quod, dum suos vult exaltare, iisdem obsequia, auctoritatem, delicias, thesaurum et quævis alia, quæ grata sunt et placent, ob oculos ponere, non vero pericula, turbationes, populorum censuras, rebelliones, inimicitias, aut alios quosvis, ex similibus dignitatibus oblati oriundos, tumultus, et contra vero Christum primo loco ob oculos nobis statuit amaritudinem laborum, sudorem, contradictionem et mortificationem; has autem per eternæ Veritatis promissionem, tandem regnum quoddam beatum necessario consequitur.

19. — Chrysostomus, *Hom. vi in Matth.*, nihilominus dicit, Christum hoc suo responsu generosum illi animum suggestisse, ac hunc calicem sine ullo metu aut formidine exhauriendi. « Persepice, » inquit, « qualiter ipso interrogationis modo et hortatur et allicit; non enim dixit: Potestisne vestrum effundere sanguinem? Sed quoniam pacto? Potestis bibere calicem? Deinde alicuius inquit: *Quem ego bibiturus sum.* »

20. — Auctor Imperfecti, *Hom. xxxv*, modum nos docet, quoad promerendas regni beati sedes, omnes huc calici labia nostra admovere possimus: « Passionem Domini, » inquit, « dicimus suscipere nos debere, non omni modo persecutionem gentiliam, sed omnem laborem et molestiam, quam patimur corpore, contra peccata certantes. »

Dicunt ei: Possumus.

21. — S. Paschasius hanc responsum cætorum Apostolorum murmuri, quod ex hac tam insolenti horum fratrum petitione coortum fuerat, aliquoties satisfacere potuisse existimat: « Ut illis respondentibus, quia possumus, audiant et cæteri, ac conquelescent, intelligentes, quod et ipsi parati sint mori pro Christo, nihilominus possunt et et ipsi juxta Christum sedere nequaquam exclusi pro duobus. »

22. — S. Thomas hic, quærit: « Quare sic respondent? Ex amore ad Christum, quia ita adherent ei, quod mors eum ab ipso separare non possit; ad eum vero eum, quo sanctus Apostolus dicebat: *Omnia possunt in eo, qui me confortat.* »

« *Quis nos separabit a charitate Christi, tribulatio? an angustia? an fames? an persecutio? an mors?* » etc. » Etenim ex quo sancti hi duo Apostoli oculos, imo et corda sua in caelestis regni primas sedes, sive in aeternam retributionem defixa habebant, nullus esse calix poterat, quantumvis etiam amarus esset, quem non libenter ad fundum usque exhaurirent, quia non sunt condignae passionis hujus temporis ad futuram gloriam. S. Basilus de hisce iisdem fratribus ita scribit: « Illis auditis submissa » mentis cervicē, obedientiā jugum subiorunt, « alacrique animo in pericula, in contumelias, in » cruce, in variis necesse processere; gaudebant enim, quod digni habiti sunt pro nomine Jesu » contumeliam pati. »

23. — Communior tamen opinio esse videtur, quod pro aviditate consequendi id, quod postulabant, vires suas nequaquam examinarint et attenderint: « Ex ignorantia, » inquit S. Thomas, *ibid.*, « quia vires suas non considerabant, item ex cupiditate assequendi quod petierant. » Lucas Bruggensis dicit, quod hoc responsum dederint, postquam se et suam ambitionem detectam et Christo notam esse viderunt; siquidem Christus audita matris petitione, non matrem, sed ipsos allocutus fuit. « Cum audiunt requiri a Christo, » quod in se situm esse arbitrantur, cupiditate assequendi, promittunt quodvis, minime metientes vires suas, » sicut et S. Petrus vires suas minime dimensu fuerat, quando Christo dixit, *Luc.*, 1, 33: *Tecum paratus sum et in carcere et in morte ire*, quod vel inde liquet, quia postea vel ad unius ancillae vocem contremuit. Neque enim etiamnum sciebant, quanta hujus calicis amaritudo esset; quae ipsomet quoque Dei Filium sanguinem sudare et agonizare fecit, quaeque divinum Atlantem, qui tribus digitis universum sustinet mundum, quique *Exultavit ut gigas ad currendam viam*, totum tremebundum in terram prostravit, adeoque de immimente sibi morte anxium reddidit, ut, quando calix iste ab Angelo ei presentatus fuit, ad Patrem hisce verbis oraverit, *Math.*, xxvi, 39: *Pater si possibile est, transeat a me calix iste.*

24. — S. Anselmus hac de re ita scribit: « Non » tantum confidentia cordis, quantum ignorantia » Passionis responderunt, nescientibus enim desiderabile est bellum, sic inexpertis levis esse videtur tentatio passionis et mortis, si enim Dominus » potuit dicere: *Pater, si fieri potest, transeat, etc.*, » quanto magis non fuerint dicturi, quia *possumus* » si scirent, qualis est tentatio mortis. » Lyranus quoque rationem quamdam affert, dicens: « Patuit » per effectum, quia in passione Christi fugerunt » praeter timorem mortis. »

25. — S. Joannes Chrysostomus autem, *Hom. lxxvi in Math.*, fratres hocce exiguum promissionis suae curam habuisse existimat, ad omnia tamen

se promptos obtulisse dicit, eo quod mente sua in id, quod adeo ardentem ambiebant, defixi erant: « Nec ipsimum intelligentes, quod se posse affirmabant; sed sperantes se habituros postulata. » S. Thomas de Villanova observat hanc esse specialem ambitiosorum indolem, quod cuncta periclitari patiuntur, dummodo ad propositum sibi scopum perfingere possint: « Omnes labores, omnes sudores, » tormenta et mortem sustinebimus, dummodo te » cum regnemus; divitias, quas cum tanto sudore » acquirunt, et tam dilectas et salutem et vitam, » si casus honoris se offerat, omnia libenter exponunt. » Paulus de Palatio ait: « Ita respondent » omnes, quod digni habiti sunt pro nomine Jesu » humanae superbiae. »

VERSUS 23.

Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

1. — Theophylactus, Christum mortem suam calicem denominasse notat: « Ostendens, quod leve » sit, et quod oportet nos tam facile illud aggredi, » martyrium videlicet, quam si bibendum esset poculum, et declarans quod ipse suaviter accedat » ad mortem. » Porro quanto cum gaudio et promptitudine uterque horum pretendunt hunc calicem eberit, amborum martyrium satis conspicue ostendit; tametsi S. Joannes in lebetem ferventis olei immisus, illaesus abinde egressus fuerit; et ideo Salvalor noster, ut Lucas Bruggensis ait: « Am » plectitur promptitudinem eorum, non tanquam » veram, sed ut hujusmodi aliquando futuram. »

Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

2. — Auctor Imperfecti, *Hom. xxxv*, circa haec verba dicit: « Noluit suscipere petitionem eorum, » ne caeteros omnes tristeret; » cum enim Apostoli eo tempore nequaquam illuminati essent, hunc fere in modum intra se discurrere poterant: « Si semel » istis duobus totius regni illius societas dividenda » est, si unus sessurus est ad dexteram et alius ad » sinistram ejus, ergo nos quid fieri iam speramus? » Ideo eum secuti sumus, ut illis electis de medio » nostrum, nos inveniamur relicti? » Demum vero concludit, quod sapientissime Redemptor noster petitionem ipsorum nec totaliter rejecerit, neque ex omni parte eidem favorabiliter assenserit: « Ideo » neque dicit, non sedebitis, ne duos confunderet; » neque dixit, sedebitis, ne caeteros irritaret. » Ita namque Dominus noster argumentatus fuisse videtur: « Si petitio eorum suscepta non est, et omnes

conturbati sunt, quanto magis fuerant conturbati si eorum petitio suscepta fuisset. »

3. — Enimvero si hoc Salvatoris responsum ad eorum regnum dirigebatur, difficultas non modica exurgit, quia rationale Salvalor noster se illud eis dare non posse, dicere potuerit, cum idem in novissimo iudicii die electis suis dicitur sit, *Math.*, xvi, 34: *Venite, benedicti Patris mei, et possidete paratum vobis regnum?* etc. Et alibi eidem Salvatori nostro dicatur: *Fecisti nos Deo nostro regnum, et regnabimus.* S. Paschasius ait: « Numquid non Pater » diligit Filium, ut alibi ait: *Omnia dedit in manu » ejus?* sed et ipse de se Filius: *Omnia Patris*, inquit, *mea sunt.* » Demum vero praefatus Sanctus respondet: « Recte dicit, quod non est suum dare, » sed eorum est promereri. » Etenim in aeterna beatitudine promissis sedibus gaudere posse, non a sola Dei liberalitate dependet, verum etiam ab intensissimo ferventissimoque nostro amore ac dilectione; nam ut S. Thomas hic ait: « Eminentia dignitatis » non datur personae, sed merito, et hoc secundum » praedestinationem divinam: non est meum dare » vobis sine merito, sed personis ex merito acquiruntur. » Vult igitur illis innuere, nullum in oculis locum habere acceptionem personarum, adeoque nihil illis suffragari, quod cognati ejus sint aut familiares. S. Hieronymus hic dicit: « Sic intellegendum est; regnum eorum non est dantis, » sed accipientis; non est enim acceptio personarum » apud Deum, sed quicumque talem se probaverit, » ut regno eorum dignus fiat, hic accipiet, quod » non personae, sed vitae paratum est. » Deus nequaquam per hujus terrae Principum leges dirigitur, qui proxime sibi cognatos, aut magis gratos et acceptos, ad primos solent honores vehere. Basilus Seleucus, *Or. xxiv*, ita exponit: « Non est meum » dare vobis. Cur? quia remuneratio accipientis » meritum consequitur, non solam facultatem » dantis; thronus laborum praemium est, non ambitionis donum gratuitum; monstra meritum » tuum, et meam intueri potestatem. » Chrysostomus, et post illum Theophylactus, rem hanc per palli sive bravi similitudinem explicant. Si enim aliquid apud Regem, qui braviium in stadio currentibus, vel inter se certantibus constituit, sollicitaret, ut braviium istud sine cursu vel certamine praevio sibi concederet: « Huic responderet utique ille poterit, non est meum dare ad gratiam, sed quibus » preparatum est, hoc est, his qui cureverint, et » vicerint; » sic autem et hoc loco dicit Christus. *Bonum certamen certavi*, inquit Apostolus, *II Tim.*, iii, 8, ac proinde concludebat, *reposita est mihi corona justitiae.*

4. — Nonnulli ex sacris Expositoribus verbum *Vobis* hoc loco considerant. S. Remigius, *in cat.*, ait: « *Vobis*, id est, superbis talibus, quales vos » estis, sed humilibus corde, quibus paratum est a

« Patre meo. » Lyranus ait: « *Sed quibus paratum* » est, id est, vere humilibus; et spiritualia sapientibus. » S. Ambrosius ait: « Non dicit: *Non est meum dare*, sed non est meum dare vobis; non sibi » potestatem deesse asserens, sed meritum creaturis. Accipite aliter: *Non est meum dare vobis*, qui » veni humilitatem docere; non est meum, qui veni ministrare, et non ministrari; non est meum, qui » iustitiam servo, non gratiam. »

5. — Quod si vero in hoc Christi responso de honoribus agatur terrenis, prout in hoc nostro casu fieri videtur, merito Christus se non est passus induci, ut postulata illis concederet, quia tametsi corda Regum, et multo amplius regna in ejus consistant manibus, nihilominus dicere voluit: *Non est meum dare vobis*, quia desiderium ejus ad hoc solum contendit, ut primas illis celi sedes et thronos consignet, non vero ut illos hic in terris in sublime evehat; imo suo nos exemplo gloriam humanam spernere docuit. In oratione quidem quotidiana, quam Dominicam appellamus, non regna petere docuit, sed regnum Paradisi: *Adveniat regnum tuum.* « Id dare meum non est, non enim » dabo morbum alicui, qui deoco ut a morbo cauteatis. » Lucas scribit, superbum Luciferum illa Christo obtulisse, dum ait: *Ostendit illi omnia regna orbis terrae in momento temporis, et ait illi: Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, et cui volo, do illam.*

6. — Paulus de Palatio optat, ut omnes Praelati, dum cognati ipsorum se ab illis ad dignitates vehi rogant, idipsum cum Christo respondeant: « *Uti nam cum a Praelato consanguineo petunt praebendas, dicerent: Non est meum dare vobis.* » Imo non solum illis, sed et omnibus aliis, qui omni merito carent, respondendum est: *Non est meum dare vobis*, quia conscientia, ut solos dignos exalant illos arctissime obligat, cum Praelati bono publico artissimo debito obstringantur. Sanctus ille Praesul Albertus Magnus, de cuius canonizatione agitur, hac de re ita scribit: « Audiant hoc Praelati, Christus enim dicit, non esse suum dare sedem hominibus in acceptione personarum, et cuius erit dare sedem illam praeter meritum? Si enim Christi » non est, consequens est, ut etiam Vicarius Christi » potestatem in hoc non habeat. »

7. — Auctor Imperfecti hisce verbis consolatur multos, qui in suis a Deo sollicitatis petitionibus patiuntur repulsam, dicens: « Quamvis pulas te » spirituales rem petere secundum Deum, et dignam impetratione, tamen si non impetraveris, » graviter ferre non debes; » adducitque duorum horum fratrum exemplum de quibus ita scribit: « Rem spirituales et dignam Deo se petere aestimabant, tamen reproba est petitio eorum, inquit » illis iudicata; non enim omne, quod apud homines est, sed iustum videtur, etiam apud Deum similiter

« est iustum; quanto maior est Deus homine, tanto « profundiora sunt Dei iusticia quam hominis, num- « quid digniores esse possumus Jacobo et Joanne? « ut non impetrantes quod petimus, doleamus, cum « nec illi de non impetrato beneficio sint contris- « tati. »

VERSUS 24.

Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus.

1. — Lucas Brugensis dicit, matrem una cum filiis Christum nonnihil ad partem subduxisse a discipulis, ut petitionem suam Christo proponens, ab aliis Apostolis minime audiri posset. Salvatorem vero voce adeo clara respondisse, ut ejus responsione proposita a matre supplicatio facili posset negotio intelligi. Verum, inquit idem Lucas Brugensis, ubi- nam est ejus charitas et circumspectio? Et respon- det: « Cum sciret eodem uno morbo omnes ipsos « laborare, voluit ipsis simul omnibus mederi, « unumque responsum simul omnibus servare. »

2. — Ecce tibi igitur, quam ferociter effraenis hæc ambitionis passio in cordibus humanis sæviat; neque enim vel ipsamet Christi scholam et colle- gium Apostolicum in secularum quandam transm-utare aulam dabit. « Hi nimirum sunt affectus « eorum, » inquit Jansenius, « qui vivunt in oculis « Principum; sibi quisque placet, sibi quisque poli- « cetur primos honores, et aliis Prælati invidet. »

3. — Paulus de Palatio proinde continere se ne-quit, qui exclamat: « O vero venenum charitatis « cupiditas, venenum concordie ambitio! Quis cre- « deret inter piscatores pauperes, et hos Christi « collegas, futuram de summo loco discordiam? » Hæc etenim ambitionis macula animas quascumque etiam purissimas coinquinare non desinit. Unde Hildebertus, Ep. xxi, ait: « Superbia natione co- « lestis, sublimes appetit mentes, et velut ad pro- « prios revolans ortus, in gloriam et puritatem « irrumpit hominum, quæ a gloria et puritate pro- « rupti Angelorum. » Ille superbie et ambitionis spiritus suam se e celo empyreo originem inter mentes Angelicas habere gloriatur, indeque se in naturam humanam transfudit, idque eo vel maxime tempore, quo adhuc omnino immaculata et illæsa erat, id est, in statu innocentie et justitie origina- lis. Merito igitur S. Ambrosius, lib. III in Luc., ita de ea scribit: « Quos nulla potuit movere luxuria, « nulla avaritia subruere, facit sæpe ambitio crimi- « nosos. »

VERSUS 25.

Jesus autem vocavit eos ad se, et ait: Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt, potestatem exercent in eos.

Jesus autem vocavit eos ad se.

1. — S. Hieronymus, *ibid.*, Salvatoris nostri be-

nignitatem et mansuetudinem valde admiratur, utpote qui duorum horum fratrum presumptio- sam petitionem minime reprehendit, neque ceteris Apostolis invidiam ipsorum turbationem asperis ver- bis improperavit, « sed tale proponit exemplum, « quo doceat eum majorem esse, qui minor fuerit, « et illum Dominum fieri, qui omnium servus sit. » Et quidem omnes simul coram se accesserunt, ut tanto eum attentius auscultarent. Theophylactus ait: « Omnibus itaque simul loquitur, præsens « omnibus fit. » Cajetanus dicit: « Ut omnes si- « mul propius, familiarius, ac magis benigne re- « prehendant, duos ambitionis, decem indignationis; « una tamen et eadem ratione, quia una erat radix « peccati, scilicet appetitus primatus. »

Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, etc.

2. — Lyranus Christum dicere voluisse putat, auctoritatem et superioritatem, quæ in ejus regno, id est, in Ecclesia ipsius esse conspicitur, nullam habere similitudinis relationem ad Principum tempo- raliū auctoritatem: « Quia auctoritas in regno « terreno acquiritur per ambitionem et potestatem; « sed in regno meo contrario modo acquiritur, « videlicet propter humilitatem, propter quod dicit: « *Quicumque voluerit inter vos, etc.*, id est, se exer- « ceat in obsequiis humilitatis. » Lucas Brugensis fines, quos Principes seculares in sua gubernatione sibi propositos habent, hæc verbis examinat: « Dominandi imperandique honorem spectant arro- « ganter, quæruntque e principatu suo, in eo sibi « placent, quod aliis præsent, a quibus timorem, « honorem et obedientiam velint a servis exigunt; « demique principatum dominatu definiunt, non « proponunt sibi eorum, quibus præsent, utilitatem, « sed seipsos, suamque ambitionem, cui servire « subditos cogunt, tum legibus, tum vi; malo fre- « quenter ipsorum subditorum. » Demum vero quomodo illa verba: *Qui majores sunt, potestatem exercent in eos*, intelligenda sint, declarat, notatque quosdam ita legere: « *Qui majores sunt*, licentia « seu imperiosa auctoritate utuntur in eos; sensus « est, eo delectantur, eo referunt dignitatem suam, « ut jubeant et imperent pro libitu subditis, invi- « tosq; ad obsequium sui compellant. »

3. — Auctor Imperfecti, *Hom. II*, similiter am- bitiosos, inordinatosque eorumdem Principum fines hæc verbis ad vivum delineat, dum ait: « Princi- « pes mundi ideo fiunt, ut dominantur minoribus « suis, ut spolient eos, et comedant et usque ad « mortem abutuntur vita eorum ad suas utilitates « et glorias. »

4. — Idem quoque Auctor dicit, sapientissimum Magistrum nostrum nobis, quisnam sit fructus humilitatis, quis vero ambitionis effectus, palam ostendere voluisse. Dicit enim: « Fructum humili-

« tatis terrestris possit primatum celestem, et pri- « matus terrestris fructum possit confusionem « celestem; quicumque ergo desiderat primatum « in terra, inveniet confusionem in celo. » Per sal- utarem hæc medicinam, pestilentialem et mali- gnam ambitionis febrem in discipulis suis curare voluit: « Ut jam inter servos Christi non sit de pri- « matus certamen, nec festinet unusquisque eorum, « quomodo aliis major appareat, sed quomodo om- « nibus inferior videatur. »

VERSUS 26.

Non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos major fieri sit vester minister.

1. — Legatur caput v. Epistolæ I S. Petri, vers. 2, ubi Apostolus, quales Superiores et Prælati in regno Christi esse debeant, apte declarat, dicens: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontaneæ secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed formæ facti gregis ex animo.*

2. — S. Thomas, *ibid.*, scribit, Christum hoc loco illos, qui primas dignitates, primasque in ejus Ecclesia sedes occupare prætendunt, instruere velle, qua ratione se gerere debeant: « Si quis « desiderat habere presidentiam in Ecclesia, Spiri- « tus Sancti ut sit sicut minister. I Pet., iv, 10: « *Unusquisque sicut accepit gratiam, etc., sicut boni « dispensatores, ut quanto plus habeatis, plus in uti- « libus expendas, ideo qui voluerit major fieri in- « ter vos, id est, in Ecclesia, fiat ut minister, id « est, ministret in necessitate aliorum. »*

3. — Cajetanus dicit, Christum hæc verbis stabili- re voluisse, quales in regno ipsius esse debeant superioritates, pro quibus hæc præcipue maxi- mam statuit: « *Non sic erit inter vos.* Principatus « vester non erit ad dominandum, et præcipien- « dum, et cogendum. » Lucas Brugensis ait: « Nec « ideo tamen imperiosa in vos auctoritate utatur, « sed ministri instar, omni cum mansuetudine agat, « si potest, obsecratione potius quam imperio adhi- « bito. »

4. — Albertus Magnus bene observat, Christum dixisse: *Inter vos*; indeque hæc deducit brevem moralitatem: « Ex modo loquendi, notat Prælatum « non supra subditos, sed inter subditos esse de- « here. » Auctor Imperfecti finem explicat, quem Salvator noster capita et superiores deputando habuit: « Principes Ecclesiæ fiunt, ut serviant « minoribus suis et ministrent eis, quæcumque « accepturam a Christo, ut suas utilitates negligant « et illorum procurent, et si opus fuerit, neque « mori recusent pro salute inferiorum suorum, « sicut Apostolus dicit: *Ego autem impendat, et « superimpendat ipse pro animabus vestris.* »

5. — Paulus de Palatio super verba illa: *Sit*

vester minister, ait: « Quidni ministret, qui videt « Deum ministrare et lavare pedes discipulorum? « Quidni ministret, qui videt ministrare munus « esse Dei, superbire vero Luciferi? » Cajetanus pulchre distinguit, in quoniam magnificentia et potestas Principum hujus mundi, et in quo Præla- torum præcellentia et potentia consistat: « Magni- « tudo mundi est, ad exercendam potestatem; « magnitudo vestra erit ad exercendum ministre- « rium; principalis gentium est ad dominandum, « vester erit ad serviendum. »

VERSUS 27.

Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

1. — Lucas Brugensis ait: « Vester servus, vobis « prorsus addictus, nullatenus liber, plus est ser- « vum esse quam ministrum; nam minister liber « esse potest, servus autem totus est Domini sui; « quidquid habet in bonis sive nature, sive for- « tunc, totum addicendum est servituti Domini. » Servus debet esse subditorum suorum, quos guber- nandos accepit, ac prout nullum ab eis præterdare debet servitium, sunt verba præcitati Expositoris, « adeo se servitio vestro obnoxium esse sciat, ut « quidquid habet bonorum sive animi, sive corpo- « ris, adeoque vitam suam, ubi fuerit opus, segue « ipsum totum impendere debent tutandæ salutis « vestræ. » S. Thomas hæc verba in eodem vigore interpretatur, dum superioritatem Ecclesiæ non dominium sed virtutem esse dicit: « Si aliquis « desiderat habere primatum in Ecclesia, sciat « quod illud non est habere dominium, sed servi- « tutem, adducitque illum Apostoli textum I Cor., ix, 19: *Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci.*

2. — Ex omnibus hisce, serio a Chrysostomo et ab Auctore Operis Imperfecti, *Hom. LXVI in Matth.*, examinatis et ponderatis, ambo nihil stultius esse deducunt, quam dignitatum seriam ambitionem; et quidem hæc de re primus ita scribit: « Nam qui « primatum quærunt, sibi ipsi dedecori sunt, igno- « rantes hoc se pacto in infima detruere, non « enim externis similia nostra sunt; nam apud « gentes, qui Principes sunt, ipsi dominantur; apud « me autem, qui ultimus est, summa tenet. »

3. — Auctor Imperfecti vero dicit: « Primatum « Ecclesiasticum concupiscere, neque ratio est, « neque causa, quia neque justum est, neque utile; « quis enim sapiens ultra se subjicere festinat ser- « vituti, labori, dolori et quod majus est, periculo « tali, ut det rationem pro omni Ecclesia apud jus- tum Judicem, nisi forte, qui nec credit iudicium « Dei, nec timet, uti abutens primatu suo Eccle- « siastico, seculariter convertat eum in secularum. »

VERSUS 28.

Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam pro multis.

1. — Ne autem, quo minus hactenus inculcata crederent, ullam prætere rationem, semetipsum omnibus in exemplum proponere non dedignatur. Unde S. Anselmus ait: « Proponit exemplum, « ut si dicta parvi penderent, ad opera saltem erudescerent, dicens: *Sicut Filius hominis, etc.* »

2. — S. Thomas hic opponit hisce verbis Domini et dicit, qua ratione Dominus dicit, se non venisse, ut sibi ministraretur, cum tamen idem Evangelista de Christo scribat: *Accesserunt Angeli et ministrabant ei.* Joannes quoque in Evangelii sui capite XII, eum a sancta Martha varia accepisse obsequia et ministeria scribit: *Martha ministrabat ei.* Respondet autem paulo post, quod, « licet ei ministratum fuerit, non tamen ad hoc venit; ad quid igitur? « ut ipse ministraret, id est, ut abundantiam gloriæ aliis impenderet. » *Luc.*, XXI, 27: *Ego sum in medio vestrum sicut qui ministrat.* Querat fortasse aliquis vestrum, inquit S. Doctor: An Christus servus dici possit, qui revera Dominus est. Et respondet: « Ita; servus enim dicitur, qui accipitur in pretium, et ipse fecit se pretium, et dedit se in redemptionem pro multis. » Observat item, Chris-

tum non dixisse: « Pro omnibus, sed pro multis, « quia quantum ad sufficientiam pro omnibus, « quantum vero ad efficientiam pro multis, scilicet « pro electis. »

3. — S. Thomas de Villanova, *Serm. de Annunt.*, ingeniosam quandam circa incarnationem Filii Dei considerationem habet, huic nostro proposito non admodum incongruam; observat enim, Filium Dei tunc præcise conceptum fuisse, quando ejus sanctissima Mater se servam et ancillam nuncupavit, dicens: *Ece ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Circa quæ verba præfatus Archiepiscopus ita loquitur: « Grandi mysterio, altissimoque Deitati instinctu conceptura Deum, sui « meminit ancillatus, ut orientem a se Filium, « mundi obsequio manciparet. »

4. — Cajetanus ex prædictis Evangelii verbis, Prelatos Ecclesiasticos servilio spirituali destinatos esse colligit: « Hic apparet, quod de ministerio in « spiritualibus statuit magnates Ecclesiasticos ministrare, sicut ipse Jesus venit, ut ministraret « spiritualia corporali exercitio et fatione inter- « veniente, prædicando, discurrendo per civitates « et castella. » Ipsemet Christi in terris Vicarius, Servus Servorum appellatur, ad denotandum, quod quanto sublimior est gubernantis et præsentis dignitas, tanto profundior esse debeat eorum humilitas.

FERIA QUINTA POST SECUNDAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM LUCE, CAP. XVI, VERS. 19

19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide.

20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus.

21. Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat; sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus.

22. Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahamæ, mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.

23. Elevans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe et Lazarum in sinu ejus.

24. Et ipse clamans, dixit: Pater Abraham miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

25. Et dixit illi Abraham: Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

26. Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transire.

27. Et ait: Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum Patris mei.

28. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

29. Et ait illi Abraham: Habent Moysen et Prophetas, audiant illos.

30. At ille dixit: Non Pater Abraham; sed si quis ex mortuis ierit ad eos, penitentiam agent.

31. Ait autem illi: Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

VERSUS 19.

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide.

Homo quidam.

1. — S. Bonaventura hic, S. Ambrosius in Catona et alii, hujus Evangelii seriem non parabolam, sed veram historiam et revera factum eventum fuisse crediderunt; cujus indicium esse dicunt, quod Lazarus proprio suo nomine appellatur. Dionysius Carthusianus in ea est opinione, divitem hunc reprobum fuisse Nabal, qui Davidi insultavit, eumque indigne tractavit.

2. — Euthymius rationem reddit, cur divitis nomen non exprimat, dum ait: « Divitis quidem « nomen non edidit, utpote odio digni; scriptum « est enim, *Psal.* XV, 4: *Nec meminerit nomen eorum per labia mea.* » Idem quoque ex Hobarum traditione refert; quod in eo seculo, quo ambo vixerunt, dives appellatus fuerit Ninensis, pauper vero Lazarus dictus fuerit, Christumque post amorum mortem de iis, quæ vere inter utrumque acciderunt, præsentem composuisse parabolam. Lucas Brugensis scribit: « Nullus narrare potuit præter « Christum, cui soli res alterius sæculi notæ fuerunt. »

3. — Albertus Magnus tres rationes, cur nomen divitis expressum non fuerit, assignat. Prima est: « Ad innuendum, quod divites apud Deum sunt « ignoti. » Secunda, ad denolandam, Deum modo quodam, mundi legibus contrario, procedere, mundus enim neminem ex nomine agnoscere, aut magnificare solet, præterquam sæculi istius magnates. Tertia, quia divites solum solliciti sunt, ut ab hominibus magnificentur et noseantur ex nomine, nihil facientes, quod a Deo estimetur, aut apud illum ex nomine famosi et magnifici existant: « In « hoc mundo nomen acquirentes, apud Deum per- « dunt. *Psal.* XLV, 12: *Vocaverunt nomina sua in « terris suis.* » Quarta ratio magis est propria, quia putrescit in manibus eorum, in quo nominari que- runt: *Ut lutum plutearum delebo eos.* *Psal.* XVI, 43.

4. — Hugo Cardinalis ideo Evangelistam divitis nomen non expressisse dicit, ut inde intelligamus: « Quod divites nomen suum, quod hic habuerunt, « amittent et pauperes invenient. *Prov.*, X, 7: *Me- « moria justi cum laudibus, nomen impiorum patres- « cet.* »

5. — Didaens Stella id ex morali quodam motivo

factum fuisse dicit: cum enim scandala et vitia, propter quæ in inferno sepeliendus erat, referenda essent, prudenter illum ex nomine non appellavit: « In quo docet, ne, quotiescumque vitia alicujus « narramus, auctorem nominemus, ne aliqua infamia inde illi sequatur. »

Erat dives.

6. — Christus Dominus, ut Beda advertit, ideo hoc factum narrat, quia paulo ante divites hisce verbis, *Luc.*, XVI, 9, monerat: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defecerit, recipiant vos in æterna tabernacula, quod audientes Pharisei deridebant;* ideoque hactenus a se dicta hoc exemplo confirmare voluit. Idem quoque Beda diffuse et post ipsum Lyranus parabola vel historie hujus sensum exponunt allegoricum, dum in divite populum Judaicum, in Lazaro vero populum gentilem significari dicunt.

7. — Hugo Cardinalis, Christum de hoc divite in tempore præterito imperfecto loqui observat: « Erat; quia talis, qui non est finaliter bonus, « imperfecte est dives, quia ejus divitiæ prætereant « et pereant. » Porro Deus huic quidem diviti amplissimas concesserat divitias, non tamen ut ad illas velut ad scopulum alidens, in fundum usque inferni naufragaretur, sed ut illis virtuose utendo, salutem sibi acquireret; ac proinde, ut ad id faciendum, promptam occasionem haberet, extremam mendici Lazari necessitatem, ei incessanter ob oculos statnerat, ut illum videns, ad intimam erga illum moveretur compassionem. Indam avaritiæ deditum esse videbat et tamen loculos eidem concredebat, non ut illis tanquam vitii illius fomento uteretur, sed ut Chrysostomus, *Hom.* LXV in *Jo.*, ait: « Ut « omnem tolleret perditionis materiam. » Opportunum valde est in hoc proposito illud Theodoretus, *l. VI de Provid.*, monitum: « Apertissimum defensionis campum habere malitiæ operari, si in « hac vita divitiarum thesauri solis justis Judex ille « distribuisset. »

8. — S. Bonaventura hic ait: « Dives dicitur « non solum propter divitiarum possessionem, sed « propter eorum dilectionem, ratione ejus dicitur: « *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et « in laqueum diaboli.* » Chrysologus, *Serm.* CXXII, ait: « Dives, sed crimine, non censu, non substantia, « sed reatu. » Hugo Cardinalis in hoc proposito scribens, diviti huic non possessionem ad delictum imputatam fuisse dicit, sed effrenem et inordinatam divitiarum cupiditatem, adducitque ad id confir-